





1789, 3  
~~1452~~  
20

ORDINIS IVRECONSULTORVM  
IN  
ACADEMIA IENENSI  
H. T.  
DECANVS  
D. IO. AVGVST. REICHARDT  
SOLLEMNIA INAUGVRALIA  
CLARISSIMI IVRIVM CANDIDATI  
ET  
PHILOSOPHIAE DOCTORIS  
FRID. ERNEST. CAROL. MEREAV  
GOTHANI

A. D. xxviii. AVGVSTI clo Io cclxxxviii.

HABENDA  
INDICIT

---

Fraemissa est  
*Disquisitio, vtrum actus legitimi Romanis fuerint  
sollemniores?*  
ad L. 77. D. de R. I.

---

I E N A E  
TYPIS GÖPFERDTII.





Actus legitimi Romanis qui fuerint, quaeue actiones legis, quaestio est perdifficilis propter opinionum varietatem auctoritatemque eorum, qui in diuersa hic abeunt. Ac nonnulli quidem nihil differre illos ab his statuunt; plures discrimen intercedere volunt, sed quod aut quale illud sit, pugnant, aliis posteriorem formam sub priore contineri, aliis autem, genus utriusque esse plane diuersum, contendentibus a). Sunt quibus Tuscus pandectarum codex in loco classico de actibus legitimis b) in mendo cubare, sunt etiam quibus hic locus videatur sanus c). Hinc mira exstitit de speciebus,

\*

pro-

a) Varias opiniones refert CHRIST. GOTFR. MASCOV. in *notis ad GRAVINAE Opera* p. 268. et IO. GOTHOFER. BAUER *Comment. de actibus legitimis* - Lips. 1748. *actionum detumque legitimorum interpretationibus* Lips. 1775.

b) L. 77. D. de R. I.

c) Prius IAVCHIVS de *negationibus pandectis Florentinis adiectis* Cap. 16. n. 43. IAC. GOTHOFREDVS ad L. 77. D. de R. I. in *Opusc.* p. 943. FRANC. HOTTOMANN. *Quaest. ill.* Cap. 34, et *amic. Resp.* I. 30.

GOTFR. MASCOV. in *notis ad GRAVINAE Opera* p. 268. et IO. GOTHOFER. BAUER *Comment. de actibus legitimis* - Lips. 1748. posterius IAC. CVIACIVS Lib. 15. Obs. Cap. 16. et *Quaest. Papinian* Lib. 28. 10. VINCENT. GRAVINA Lib. 2. C. 80. in *Opp.* p. 269. IAC. RAEVARDVS I. L. WISSENBACH ad Tit de R. I. cit. I. 10. GOTTFR. SAMMET in *Opusc.* nro. 7. p. 200 atque ex vtraque parte plures tuentur.

proprietatibus et numero actuum legitimorum dissensio, in qua IAC. CUIACIUS et FRANC. HOTTOMANVS aduersarii praecepti, grauiter inuicem commissi,prehenduntur *d)*,

Ad notionem quod attinet, alia omnia, quam antiquiores, probarunt Iureconsultorum nostrae aetatis plurimi. Plausum illorum tulerunt doctissimi triumviri RITTERVS *e)* ERNESTI *f)* et BACHIUS *g)* ita quidem, vt nugae iudicare, quae HEINECCIUS, aliique aliter hac de re praeceperunt, quidam non dubitauerint *h)*.

Recessit ab hac schola nouissime Vir perillustis LVDOV. IVL. FRID. HOEFFNER *i)* praesertim in argumento de actibus legitimis. Duo sunt, quae illi displicent, alteram actus illos, ex communi sententia, actus haberi sollemniores; alterum eosdem secundum illam nec diem recipere vel conditionem, nec procuratorem admittere sollemnitatis causa.

Mihi quidem tradenti Institutiones iuris ciuilibus ex HEINECCI elementis, a viro perillustri limatis, quorum explicandorum causa doctrinam de legis actionibus et actibus legitimis speciali Commentatione tractauit eandemque Commentario adiecit, veri species quidem apparuit magna, non tamen haec, quae mihi tolleret omnes dubitandi rationes. Easdem proferre animum induxi,

*d)* loc. all.

*e)* ad HEINECC. *hist. iur. L. I. §. 46.*

*f)* *voc. actio.*

*g)* *Hist. iurisprud. Rom. L. 2. C. 2. §. 3.*

*h)* Conf. IO. HENR. CHRIST. de SELCHOW *Elem. iur. Rom. anteiust. §. 248.*

*i)* *Comment. de legis actionibus et actibus legitimis, quae ad calcem Commentar. ad Inst. edit. secund. de Ao. MDCCCLXXXVII. adiecta est.*

induxi, quas quidem si dignas inuenerit responsione, fir-  
 mior dubio procul reddetur noua doctrina. Ac omnibus,  
 qui in re tam obscura lucem et euidentiam mecum optaue-  
 rint, hoc gratum acceptumque, mihi uero, cui contraria  
 nunc stat sententia, etiamsi forte redarguatur, duces prae-  
 lectionum mearum, uirum celeberrimum, etiam hic sequi  
 posse, uolupte erit. Sin minus, documentum tamen cupio  
 esse hancce opellam diligentiae, qua legere scripta uiri do-  
 ciissimi atque rimari altius soleam.

In primo huius doctrinae capite, ad quod, hac Commen-  
 tatione, vnice respicere in animo est, omnia, ni fallor,  
 redeunt ad has quaestiones: sitne uocabulum *legitimus*  
 pro eo, quod est sollemne, accipienda? Deinde, si  
 aiens huius quaestionis sententia defendi queat; fuerintne  
*actus legitimi*, de quibus Papinianus quaest. libro XXVIII. *k*)  
 egit, actus sollemniores? Vtrumque negauit uir perillustis,  
 persuasus: legitimi uocabulum non nisi hoc, quod legibus  
 est consentaneum iisdemue inductum, nunquam id, quod  
 sollemne est, indicare.

Ait autem VARRO: „Fasti dies (sunt) quibus certa *uerba*  
 „*legitima* sine piaculo praetoribus licet dari.“ Antea paullo  
 haec uerba legitima profert in hunc modum „contrarii dies  
 „nefasti uocantur, per quas nefas praetorem dari DO, DICO,  
 ADDICO.“ Legitima haec uerba sollemnia esse, si quis sit,  
 qui dubitet, illi testis esse MACROBIUS *m*) poterit, idem, quod  
 VARRO, tradens hoc modo. „Fasti sunt, quibus licet dari  
 „Praetori tria *uerba sollemnia* DO, DICO, ADDICO.“

\* 3

*k*) Fragmentum huius tractationis continet.  
 l. 77. D. de R. I.

1) Lib. 5. de L. L.  
 m) Lib. I. Saturnal. Cap. 16.



Concinit OVIDIUS *n*)

„Curio *legitimis* tunc Fornicalia verbis,

„Maximus indicit — —

Prodeat etiam testimonii dicendi causa LIVIUS. In Oratione Postumii Lib. IX. Cap. 9. occurrunt haec „An, si „eadem superbia, qua sponsonem istam expresserunt „nobis Samnites, coëgissent nos *verba legitima* dedentium vrbes nuncupare, deditum populum Romanum vos „tribuni diceretis, et hanc urbem, templa, delubra, fines „aquis Samnitium esse?“ Dubium, si quid video, non est, verbis *legitimis* subiectam esse formularum notionem *o*). qua formulae ipsis legibus nostris *sollemnia verba* s. *verborum sollemnitatis* vocantur *p*) ac *certa* verba veteres modo *sollemnia* dixisse, modo *legitima*, alii quoque obseruarunt *q*). A legibus eadem non esse concepta, constat inter omnes.

Ac verbis solum legitimis hanc significationem conuenire, nemo facile sibi persuaserit. Alia omnia quoque, quae legitima audiunt, ita accipi posse, modo sensus id ferat, credibile est, et puto probari posse. Quae PAPINIANO *r*) *actus* sunt *legitimi*, acceptilatio et mancipatio, siue (vt Haloandrina pandectarum editio habet) emancipatio, actus ab imperatoribus DIOCLETIANO et MAXIMINIANO simpliciter vocantur *sollemnes* *s*).

Ad-

*n*) Lib. 2. *Fastor.* v. 527.

*o*) Formulas deditiois ipse LIVIUS Lib. I. Cap. 38. L. 8. C. II. v. gr. „deditisne vos populum Collatinum, urbem, agros, terminos, delubra, vtensilia, diuina humanae omnia in meam „Populique Rom. ditionem? Dedimus. At „ego recipio.“ Formulas in indicione sa-

crorum faciendorum vsitatas BYRMANNVS in edit. Ouidii ex ARNOBIO tradidit.

*p*) §. I. I. de V. O.

*q*) BARN. BRISSONIVS *de formulis et sollemnibus pop. rom. verbis* L. I. C. 181.

*r*) L. 77. D. de R. I.

*s*) L. 3. C. de *Emancipationibus liberorum*.



Adoptionem *sollemnitatem* dicit VLPPIANVS *t*), νομιμον πραξιων  
i. e. *actum legitimum* THEOPHILVS *u*).

Quid? quod in ipsa sollemnis voce aliquid contineri videtur, quod legis vim habeat atque valorem, s. quod sit legitimum. „Sollemne est mihi“ ait PLINIUS *x*). „Domine, omnia — ad te referre.“ Lubens abstineo a cumulandis aliis locis. CICERONEM *y*) tantum testem adiungo, qui, eadem mente, „tantum igitur nostrum istud“ inquit „sollemne seruemus; vt ne quem isthuc euntem sine „litteris dimittamus.“

Aliter hos viros classicos intelligi non posse, mihi quidem persuadeo, ac si dixisset posterior: *legis ad instar illud seruemus*; prior, *se sibi met ipsi hanc legem fecisse*. Proprie vtrum locuti sint, an improprie? parum curo. In vtraque enim significatione aliqua similitudo adesse debet, quae hoc efficere videtur, vt vtriusque vocis, legitimi ac sollemnis, mutua significatio, non possit prorsus negari. Mihi certe, iterum dico, causae non satis esse ad negandum videtur.

Caeterum non semper et in omnibus locis hanc mutuam significationem statui posse, quilibet facile concedet. Quare hoc, quod alia significatione legitima actio ac

*rum*. L. VI. C. de reuocandis his, quae in fraudem creditorum alienata sunt.

*z*) L. 25. §. 1. D. de Adoptionibus.

*u*) Pr. I. de Adoptionibus. In translatione latina G. OTT. REIZVM et DION.

GOTTFREDVM secutus sum, qui etiam ad alias aliorum explicationes respondet.

*x*) Lib. X. Ep. 79.

*y*) Ad Atticum Lib. VII. Ep. 6.

conuentio legitima in legibus inueniantur 2) id quidem sententiae illorum non repugnat, qui scholae Ictorum dissentientium addicti sunt. Ignotum tamen non est, interpretationem *actionum legitimarum*, quam dedit vir perillustis a) non omnibus placere. Eandem potius, quam in acibus legitimis ex communi sententia habet significationem appellatio legitimi, tribuendam esse volunt actionibus legitimis b). Neque res caret omni veri specie.

Itaque agmen claudat POMPONIVS c). „Deinde ex his „legibus, eodem fere tempore actiones compositae sunt, quibus inter se homines disceptarent: quas *actiones* ne populus „prout vellet, institueret, *certas sollemnesque* esse voluerunt et „appellatur haec pars iuris legis actiones, *id est legitima* „*actiones*.

Superfluum iudicari a nonnullis hanc Iureconsulti interpretationem: „*id est legitima actiones*“ quinimo irreptitiam, quae tanquam Glossema expungi debeat d), sane non est mirandam, si vocabulum, *legitima*“ non nisi hoc, quod legis actiones sint ex legibus, indicare statuamus. Eadem ad verba sollemnia s. legitima relata meliorem vtique sensum acci-

2) L. 2. §. 6. D. de O. I. L. 6. D. de Pactis.

a) Cit. loc. §. 7. n. 5. *gesetzliche Klagformeln*.

b) IAC. VOORDA diss. de *legis actionum actionumque legitimarum differentia* §. 5. BREVNING c. 1. §. 3.

c) L. 2. §. 6. D. de O. I.

d) ANTON. FABER *Rational. in Pand.* c. 1. MURETVS et ZASIVS. Conf. BYNKERSHOEK in praetermissis ad L. 2. de O. I. qui rectius, eandem *egensuetudo*: esse accipiendam et retinendam, docet.

accipiunt atque id ipsum indicant, quod ad substantiam legis actionum pertinet, atque naturam e)

Haec hactenus de prima quaestione. Altera discutienda superest. Plures enim dederam admittendas esse vocabuli legitimi significationes. Itaque ex eo, quod potuit fieri, colligi nequit, hoc ipsum a PAPINIANO esse factum: sed tantum abest, ut ita rationes subducam, ut potius incertitudinem ipse non dissimilem, quam confiteri ICI celeberrimi non erubuerunt f).

PAPINIANO actus legitimi sunt negotia sollemniori ritu et formula expedienda. Sic fere docet communis ICTorum schola. An solide probauerint? videant alii, collata, si placet, noua impugnatione g). Nonnihil tamen pro defendenda causa eorum dici posse putem et insuper hoc admonendum esse, in re dubia ut probabilitate simus contenti.

Ipsa autem PAPINIANI verba, quae, quia caput rei proxime attingunt, integra damus, haec sunt h). „Actus legitimi, qui non recipiunt diem, vel conditionem (veluti „mancipatio, acceptilatio, hereditatis aditio, serui optio, datio tutoris), in totum vitiantur per temporis, vel conditionis

e) *Legis actiones*, dicit POMPONIVS, quae formam (formulas) agendi continent. L. 2. §. 12. π. de O. I. BYNKERSHOEK c. l. §. 7. Ex epilogo eorum, quae hactenus dixerat, adparer, quid sit *lege constituta*, ex proprio POMPONII vsu loquendi.

f) CORN. V. BYNKERSHOEK L. VII. Obs. Cap. 13. „plura ea de re dici,“ in-

quit. „quam sciri“. Subscribunt perill. HOEFFNER c. l. §. 1. et MASCOV. c. l. p. 268.

g) Vid. lit. praeced. i.

h) L. 77. D. de R. I.

„nis adiectionem. Nonnunquam tamen actus supra scripti  
 „tacite recipiunt, quae aperte comprehensa vitium adferunt;  
 „Nam si acceptum feratur ei, qui sub conditione promisit,  
 „ita demum egisse aliquid acceptilatio intelligitur, si obliga-  
 „tionis conditio exstiterit: quae si *verbis nominatim acceptilationis*  
 „*comprehendatur*, nullius momenti faciet actum.“

Ac *primum* adiuterit hanc sententiam communem, quod vo-  
 cabulum *legitimus* significationem eius, quod sollemne est, admit-  
 tit. Cum verba legitima Romanis fuerint sollemnia, eosdem  
 negotia ipsa, hisce verbis adstricta, actus legitimos appellasse,  
 mihi quidem facile persuadeo. Alia quidem mente IVSTI-  
 NIANVS *i*) hunc modum loquendi adhibuit. Verum enim  
 vero non vna est vtriusque vocis significatio, etiam in iu-  
 re *k*). Ac ex ipsa IVSTINIANI constitutione adparet, in ora-  
 tione Imperatoris actus legitimos et conuersationes legitimas  
 vnã eandemque habere significationem, ideoque eius ac  
 PAPIANIANI sententiam confundi non posse. Actuum legiti-  
 morum appellationem haud frequentius inueniri, huius rei  
 caussa forsitan ex imminuta recentiori aeuo iurisprudentiae  
 formularis auctoritate erit repetenda. Si CUIACIO credimus,  
 formularum nomen TRIBONIANVS non saepius retinuit *l*).

Deinde eidem sententiae fidem faciunt actus a PAPIANIANO  
 nominati. Eosdem sollemniores fuisse, argumenta ad-  
 feruntur, quae, si a serui optione discesseris, satisfacere vi-  
 dentur *m*). Nonnullos eorum in aliis legibus actus sollem-  
 nes

*l*) L. 21. C. de Haereticis.

*k*) BARN. BRISSON de V. S. voc. ago,  
*legitimus*.

*l*) Conf. Io. HIERON. STENGER de  
*iure formulario Romanorum* §. 13.

*m*) Conf. IAC. GOTTFREDDVS et FRAN-  
 COTTOMANN c. 1.

nes simpliciter vocari supra dictum est. Quod quidem ad acceptilationis sollemnitatem demonstrandam sufficere puto. Ait quidem *ULPIANVS n)* „hoc iure utimur, ut iuris gentium sit acceptilatio.“ Sed non omni ex parte illam huic iuri adscribendam esse, *POMPONIVS o)*: testatur. Vtrum omnis acceptilatio ac quaevis hereditatis aditio actus legitimus, siue sollemnis, merito possit vocari, an vero quaedam horum negotiorum formae? id quidem non disquiram. Parum enim referte puto. *PAPINIANS* hoc loco mihi in eo non videtur occupatus esse, ut indicem actuum legitimorum daret omnibus numeris absolutum. Largior, non satis firmas esse argumentationes, quae pro loco serui optionis in serie actuum legitimorum defendendo proferuntur. Tales vero, quinimo omnes, etiam deesse videntur, ad probandam diuersam sententiam, scilicet hanc, eam ex legibus descendere. Itaque probabilitate simus contenti.

Denique commodius ac simplicius, quam aliorum interpretationibus, omnino explicatur omne *PAPINIANI* fragmentum, si primis eiusdem verbis regulam *p)* dari statuamus, ex ipsa sollemnitate actuum legitimorum concipiendam, quae causam contineat, cur conditionis vel diei adiectione vitientur cum actus legitimi omnes, tum praesertim acceptilatio, cuius speciem Iureconsultus extremis verbis, exempli loco proferit. Ac ex hac quidem interpretatione communis de actuum legitimorum indole *DD.* sententia maximum accipit robur.

*n)* L. 3. §. fin. D. de Acceptilationibus.

*o)* L. 107. D. de Solutionibus.

\* \* \*

Verum

*p)* Sic enim initium fragmenti intelligo, ac si dixisset *PAPINIANS*: „actus legitimi, quandoquidem non recipiunt diem, vel conditionem.“

Verum enim vero haec argumentatio ad alterum Com-  
 mentationis, de qua quaestio est, caput pertinet, quod qui-  
 dem hoc loco animus non est pertractandi. Ad finem huius  
 disputationis perueniens leuiter tantum speciem illam attin-  
 gam, quam PAPINIANVS verbis extremis in medium protulit.  
 Cum speciminis loco eandem proposuerit atque acceptilatio-  
 nis causa hunc totum tractatum ingressus sit *g)* species illa  
 quam maxime rem omnem illustrare videtur. Si acceptum  
 feratur illi, (debitori) qui sub conditione promisit, non ad-  
 iecta conditione, PAPINIANO auctore, acceptilatio valet atque  
 efficaciam habebit, si conditio promissionis exstiterit. Aliter  
 erit dicendum, si *verbis nominatim acceptilationis conditio compre-*  
*hendatur.* Haec enim adiectio actum nullius faciet momenti,  
 Nescio, an alii, qui primum illud legerint, id accidat,  
 quod mihi euenit, ut ius formularium subesse statim sen-  
 tiant. Certe simplicior huius rei causa reddi potest nulla  
 hac: formula acceptilationis erat pura, conditionis experts.  
 Alia, quam tradit IAC. GOTHOFREDVS, aut imaginaria est,  
 aut ad hanc ipsam redit.

Sed transeamus ad sollemnia clarissimi iurium candidati  
 inauguralia indicenda. Quam vitae studiorumque rationem  
 habuerit, ipse exposuit sequentibus verbis, quibus quidem,  
 quod adderem, non habeo nisi hoc, eundem dum vitam in  
 hac vniuersitate litteraria degeret, et diligentia in litteris et  
 morum probitate, praeceptoribus sese commendasse omnibus  
 meque praesertim, cuius inquilinus fuit, eius rei testem et  
 spectatorem fuisse.

*Ego*

*g)* IAC. GOTHOFRED, c. l.

**E**go FRID. ERN. CAR. MEREAV natus sum Gothae d. XII.  
 Aprilis d[omi]ni MDCCLXV. et diuino numine Car. Hubertum Mereau,  
 Parisiensem, patrem optimum, Serenissimi Ducis Saxouico-Gothani  
 festiuitatum aulicarum subdirectorem, et IOAN. SOPH. FRID.  
 ex gente GASTERSTAEDTIANA, matrem, cuius beatos manes pie  
 veneror, parentes nactus sum, quorum exemplis et institutiq[ue] ad  
 omnia, quae aetatem puerilem decent, diligentissime adductus, cura  
 priuata et quoad religionis christianae notitiam litterarumque huma-  
 niorum rudimenta tantum profeceram, ut decimo quarto aetatis  
 anno Gymnasio illustri, quod patria in vrbe floret, nomen da-  
 rem, auspiciisque virorum amplissimorum, qui tum in eodem Gym-  
 nasio litterarum humaniorum studiis, artiumque liberalium exercitiis,  
 praecerant, omnia, quae priuatis conatibus inchoaueram, amplius  
 exornarem, iusteq[ue] persoluerem. Quo consilio integrum quinque-  
 mium in hoc almo litterarum artiumque liberalium studio a Consiliis  
 ecclesiasticis et, Gymnasii illius Rectoris, nec non GEBHARDI, SCHIEKII,  
 VOGTII viri spectatissimi, qui nunc Mathematica in Academia Ieneusi  
 profitetur — KALTWASSERI et GALLETTI professorum honoratissimorum  
 eruditione graecae latinaeque linguae, utriusque matheosae institutio-  
 nis vberima usus, et tam naturalibus quam politicis historicis et  
 physicis lectionibus rite imbutus tantum quidem profeceram,  
 ut illustribus Gymnasii Ephoris dignus viderer, qui ad altiora  
 academiae subsellia eiret. Inde anno d[omi]ni MDCCLXXXIII. autumnali  
 semestri Academiam Ienensem, celebratissimam Musarum sedem,  
 adii, et sub auspiciis perilli DOEDERLEINII tunc Pro-Rectoris  
 Magnifici in ciuium academicorum numerum receptus, ibique per  
 integrum triennium moratus iurisprudentiae operam dedi. Quam  
 ob rem Doctoribus usus sum illustribus Consultissimis et  
 spectatissimis I. quidem in Iurispru-  
 den-

*dentia REICHARDO, in institutionibus iuris civilis, Pandectarum iuris Canonici et criminalis, EICHMANNO ad regimen Saxo-Altenburgicum postea vocato in iure criminali, SCHNAUBERTO in iure feudali, publico et iure principum privato, EMMINGHYSIO in examinibus in Pandectis institutis, HUFELANDIO in Encyclopaedia historiae iuris atque in iure Germanico, VOELKERO in practicis et relatoriis et examinibus. II. In Philosophia VLRICO in logicis et metaphysicis et in doctrina morum philosophica. III. In Historicis EICHHORNIO in historia imperii Germanici, MÜLLERO in historia Saxonica et in arte Diplomatica, antiquitatibus Germanicis, Numismaticis et Heraldica. IV. beato WIDEBYRGO in Mathesi pura. V. SYCCOYIO in rebus cameralibus. Hicce omnibus rite peractis anno MDCCCLXXXVII. Academiae Jenensi valedixi et ratione horum studiorum patriae reddita, statim ad augenda studia Goettingam secessi, ubi Viris consultissimis spectatissimisque ducibus perill. PÜTTERO practicis, iuri publico, iuri mediū acui, historiae imperii Germanici, ill. RVNDIO iuri Germanico, ill. MARTENS iuri gentium, ill. SCHLOEZERO statisticae, ill. SPITTLERO historiae statuum Europaeorum, ill. MEINERS historiae humanitatis, ill. GATTEREO Diplomaticae et Encyclopaediae historicae operam dedi. Tum MDCCCLXXXVIII. Jenam redii Generosi CAR. AD. FRID. de WANGENHEIM Gothano - Sonnebornensis studia moderaturus et in spectatissimi viri ill. REINHOLDII praelectionibus aestheticis auditor esse desii Ibiq. Philosophiae et liberalium artium magisterium adeptus ad Doctoratus ianiam in iure gradum aspirans.*

Peractis his studiis petiit, ut pro consequendis summis in iure honoribus ad examen admitteretur. Talem in illis se praestitit, qui unanimi consensu dignus honoribus istis iudicare-



dicaretur, qui quidem vt rite illi conferantur dissertationem inauguralem.

*De passibus Capitulationum nouissimarum contradictis in genere.*  
proximo die XXVIII. mens. Augusti sine praeside defendet.

Vos ergo, MAGNIFICE ACADEMIAE PRO-RECTOR, COMITES ILLVSTRISSIMI, PATRES ACADEMIAE CONSCRIPTI, PROFESSORES ET DOCTORES CELEBERRIMI, Generosissimi et nobilissimi Commilitones, reliquosque litterarum et bonarum artium FAVTORES ordinis mei verbis omni obseruantia oro rogoque, vt hunc actum praesentia vestra velitis sollempniorem reddere. P. P. sub sigillo Facultatis A. D. XXVIII. Augusti  
c1o 1o cc LXXXVIII.



Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.



VD18


ULB Halle 3  
004 582 101



Sb. f







ORDINIS IVRECONSULTORVM  
IN  
ADEMIA IENENSI

1289,3  
~~1452~~  
20

H. T.  
DECANVS  
AVGVST. REICHARDT  
ALLEMNIA INAVGVRALIA  
ISSIMI IVRIVM CANDIDATI  
ET  
PHILOSOPHIAE DOCTORIS  
ERNEST. CAROL. MEREAV

GOTHANI  
XXVIII. AVGVSTI dō Io cclxxxviii.  
HABENDA  
INDICIT

Praemissa est  
*... utrum actus legitimi Romanis fuerint  
sollemniiores?*  
ad L. 77. D. de R. I.

IENAE  
TYPIS GÖPFERDTIL

